

rhizomate crassè cæspitoso foliis capitulisque multò minoribus. Pappo immaturo quidem sed qui supernè scaber videtur inter *Gelasias* propè *Sc. pygmeam* et *rigidam* diversissimas militare videtur. Forsan *Podospermi* spec. sed hoc genus minimè naturale est et in posterum rursùs *Scorzoneræ* conjungendum.

SCORZONERA MACKMELIANA Boiss. (Sect. *Gelasia*.)

Sc. rhizomate lignoso cæspitosè compacto, foliis adpressissimè tomentosis canis brevibus linearibus obtusis rigidulis subcanaliculatis margineque subundulatis glabris, scapis foliis paulò longioribus monocephalis, capitulis parvis, involucri tomentelli cænescentis phyllis paucis erecto-patulis ab infimis triangularibus ad interiora lanceolata elongata omnibus acuminatis, floribus paucis, ligulis subtùs rubris involucri paulò superantibus, acheniis...

Hab. in editissimis jugis *Mackmel* Libani. (Boiss.)

Folia 9-12 lin. longa 1 1/2-2 lin. lata. Scapi 6-18 lin. longi, capitula illis *Sc. pygmeæ* minora minùsque floribunda; huic affinis sed sat differre videtur indumento adpressè tomentoso nec hirtulo, foliis abbreviatis rigidioribus, involucri phyllis paucioribus acutioribus. *Sc. rigida* affinis quoque a nostrâ differt collo valdè squamoso, foliis erectis nec expansis angustioribus multò longioribus supernèque attenuatis margine non undulatis. Forsan *Sc. tomentosa* γ *linearis* DC. Pròd. a *Sc. tomentosæ* L. descriptione diversissima ad *Sc. Mackmelianam* spectat.

SCORZONERA CINEREA Boiss. in Kotsch. pl. Pers. bor. 1846. (Sect. *Gelasia*.)

S. tota tomento tenuissimo densissimo cinerea, caulibus elatis teretibus striatis foliosis supernè remotiusculè ramosis ramis strictis monocephalis angustè et elongatim racemosis, foliis integerrimis parallelè 5-6 nerviis inferioribus linearibus vel oblongo-lanceolatis superioribus a basi rotundatâ acuminatis summis angustè linearibus, involucri squamis adpressè erecto-patulis sericeis omnibus subæquilongis angustè lineari-lanceolatis acuminatis; ligulis còncoloribus involucri paulò longioribus, acheniis junioribus glabris, pappi setis basi tantùm plumosis.

Hab. in declivibus graminosis ad radices montis *Demawend* propè pagum *Ask* Kotschy N° 371.